



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. II. Solvuntur Objectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

otiosus, & superfluous: adeoque non manet. Quin imò habitus spei destruitur in peccatore, in statu viæ desperante: quanto magis destruetur in æternum desperatis in termino?

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

720. **O**B. 1. contra 4. conclusionem. *Jacob. 2. v. 19.* dicitur: *Dæmones credunt, & contremiscunt*: atqui ibi est sermo de vera fide supernaturali: ergo. prob. mi. Apostolus supponit, fidem dæmonum esse talem, qualis est fides Christianorum, quæ est supernaturalis; alias male inferret, ex inutili fide dæmonum sine operibus, etiam inutilem esse fidem Christianorum sine operibus: ergo. Resp. 1. cum quibusdam apud Lugo *de fide disp. 17. n. 11.* illud *credunt* significare idem, ac *crediderunt*: scilicet, dum erant in viâ, non autem postea; est enim apud Hebræos modus familiarissimus, ponendi unum tempus pro alio: sic illud *Luc. 7. v. 47. Cui autem minus dimittitur, minus diligit*: explicatur à SS. Ambrosio, Chrysostomo, Beda, Euthymio, Theophilacto, minus dilexit.

Resp. 2. neg. mi. ad prob. neg. ant. Apostolus non æquiparat utramque hanc fidem in eo, quod supernaturalis sit, sed quod utraque sine operibus sit inutilis: sive de in supernaturalis sit, sive non: &, ut ait Cornelius *in hunc locum*, vult dicere: quid prodest tibi fides tua sine operibus? tam parum, quam dæmonibus sua: licet non sit in omnibus paritas: & hæc est communis responsio teste Lugo *de fide disp. 17. n. 12.* Quamvis autem hac ratione ex fide dæmonum non probaretur valde efficaciter inutilitas fidei supernaturalis, ait Lugo *cod. n. 12.* eam ab Apostolo aliis argumentis ibidem probari.

721. Ob. 2. contra 6. conclusionem. Beati, etsi non possint sperare DEUM, hic, & nunc possidendum, possunt tamen sperare eum in æternum à se possidendum; nam tempus futurum, & possessio futura, nondum possidetur: ergo Beati possunt elicere actum spei primum, scilicet desiderium fiduciale circa ipsum DEUM. Resp. cum Suarez *de virtutib. Theol. tr. 2. de spe disp. 1. sec. 8. n. 5.* nego suppositum; æternitas enim DEI est ipse DEUS: ergo, dum possidetur ipse, jam possidetur ejus æternitas tota simul. Si autem illud *in æternum* appelleret super possessionem, quasi diceretur, posse sperari æternam possessionem DEI. Resp. cum Beati sint certissimi de perpetuitate possessionis, eaque immutabiliter ipsis à DEO concessa sit, saltem in radice, quatenus ipsis concessum est lumen gloriæ, quod eam exigit, non possunt eam amplius sperare, ex eo; quia non est amplius bonum arduum,

prout requiritur ad spem, ex dictis *n. 718.* Possunt enim Beati beatitudinem, & ejus ulteriorem semper continuationem, habere viribus propriis: non quidem viribus ex natura propriis, sed tamen propriis ex gratia, jam immutabiliter ipsis concessa. Licet autem requiratur adhuc concursus DEI, hoc non impedit, quò minus dicantur Beati viribus propriis beatitudinem habere: modò is concursus debeat, ut debetur lumini gloriæ; alias neque quidquam naturale possemus viribus propriis efficere. Adde, quod Beati non possint, eam possessionem perdere; unde, licet possint ulterius desiderare visionem in futurum, tamen non possunt, eam sperare per actum saltem primum; quia eam jam immutabiliter, & inamissibiliter habent: quidquid sit, an tale desiderium dicendum sit actus spei secundarius &c.

DISPUTATIO VI.

De Spe, & Charitate Theologica.

722. **P**Lura jam antè de spe, & charitate disputavimus, ex occasione. Sic habitum spei Theologicum dari probatum est à *n. 8.* Eum distinctum esse à fide, probatum *ibidem*, & iterum *n. 16.* Quodnam sit ejus subiectum, expositum fuit à *n. 716.* Præceptum actus spei eliciendi explicatum est à *n. 607.* Pari ratione dari habitum charitatis, eumque Theologicum esse, probatum est *n. 8.* Ab aliis habitibus eum distingui est *eodem numero* ostensum, & iterum ex Tridentino *n. 702. & seq.* ubi ex Concilio hoc probavimus, habitum charitatis ab habitibus fidei, & spei, separabilem esse. De præcepto charitatis egimus *a. n. 607. & seq.* uti & de ejus subiecto à *n. 709.* Restant paucula de spe, & charitate, in elencho præscripta, quæ paucis etiam absolvemus.

QUESTIO I.

De Objecto Materiali, & Formali, ac Proprietatibus Habitûs Spei.

ARTICULUS I.

Quid sit Spes, & quàm certa, quodque Objectum Materiale, & Formale ejusdem.

723. **D**ico 1. *Actus Spei Theologica* rectè definitur, *Desiderium fiduciale supernaturale beatitudinis superne, DEO auxiliatori innixum.* ita ferè quoad verba Gormaz *tract. de spe disp. 1. n. 10.* & alii communissimè quoad sensum. Explicatur, & simul probatur hæc definitio, seu descriptio. Dicitur 1. *desiderium*, quod aliud non est, quàm amor concupiscentiæ, sive amor rei ut nobis bonæ, nondum possessæ, cum appetitu eam habendi